



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Connimbricensi Academia
Sacrarum Litterarum primarii Professoris Opvs, De Virtvte
Et Statv Religionis**

Qvo Quid Contineatvr, Index proximus indicabit

De Obligationibus Religiosorum ex Regula, Prælatione & subiectione
regulari prouenientibus, De varietate Religionum tam in genere, quàm in
specie, De Religione Societatis Iesv in particulari

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1626

IV. De suprema potestate iurisdictionis in Societate Iesv.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93501](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93501)

Præpositio mandet, &c. Unde potest non solum illum obligare suis legibus & præceptis, sed etiam eum punire, vel interdum deponere, si causæ legitimæ intercedant, iuxta 4. c. 9. p. constit. Tertiò habet potestatem statuendi ius perpetuum, & illud mutandi in eadem Societate, de quo videri potest decretum 76. Congr. 7. Quartò habet potestatem alienandi vel dissoluendi collegia, aut domos semel erectas, & acceptatas, iuxta c. 3. 9. p. constit. §. 17. & 18. & 4. p. constit. c. 2. §. 3. & habetur in Bullis Pauli III. & Iulij III. Atque hi actus ita sunt proprii Congregationis generalis, ut iurisdicção ad eos exercendos in nulla singulari persona inueniatur, ut ex eisdem locis constat.

IV. Ad eandem autem Congregationem solam (per se loquendo) spectat Assistentes Generalis eligere, ut constat ex 9. p. constit. c. 5. §. 3. Hoc autem non adeo necessarium est, quin aliquando possit hæc electio fieri absque Congregatione generali, quando necessitas aliqua occurrerit subrogandi aliquem in locum alterius demortui, vel sufficienter impediti; tunc enim Generalis poterit illum substituere, concurrentibus tamen suffragiis decisiui omnium Prouincialium Europæ, vel maioris partis eorum, ut in eadem constitutione dicitur, atque idem dicendum videtur de electione Admonitorem Generalis: nam illa etiam ad Congregationem generalem spectat, ut colligitur ex eadem 9. p. constit. cap. 4. §. 4. ibi: *Per Societatem designatus; Societas enim ibi necessaria sumitur prout in Congregatione generali necessaria existit, & representatur.* Quia nec tota Societas formaliter, (ut sic dicam) & per se ipsam potest illum designare, nec supponitur aliqua alia Congregatio, vel persona, cui Societas hoc munus commiserit, maxime enim esset ipsemet Præpositus Generalis, nullibi autem legitimus hoc munus illi esse commissum. Poterit autem, ut existimo (quævis in constitutionibus expresse non legatur) cum necesse fuerit substituere Admonitorem in casu aliquo necessitatis cum suffragiis Prouincialium, sicut de Assistentibus dictum est, atque ita declaratum est in 3. Congr. can. 19. & Congr. 4. generali, can. 24. & 25.

V. Atque hæc sunt, ad quæ propriè extenditur iurisdicção Societatis, prout ab ipsamet in Congregatione generali existente immediatè exerceri solet & debet. An verò ad alios etiam actus ampliari possit, paulo post à numero 8. videbimus. Quamvis autem hæc iurisdicção Congregationis ordinaria sit, prout ordinaria à delegata distinguitur: potest tamen dici extraordinaria, prout distinguitur ab ea, qua ordinariæ, & continuè regitur Societas: quod enim illa iurisdicção non sit delegata, certum est: tum quia conuenit illi ex certa, & ita iura lege à Pontificibus confirmata, & ex vi sui muneris: tum etiam à posteriori, quia potest illam delegare & committere, imò etiam tanquam ordinariam conferre. Extraordinariam autem eam voco, quia non pertinet ad ordinarium regimen Societatis: neque ad perfectionem, & integritatem eius, ut Congregatio generalis actu semper existat, neque ut ab ea immediatè manet ordinarius influxus suæ iurisdictionis Societati necessariæ: sed solum in casibus necessariis congreganda est, qui extraordinarii dici possunt. Hæc autem iurisdicção actu non existit, nisi pro tempore, pro quo generalis Congregatio actu existit, & ideo extraordinaria appellari potest.

VI. Hinc ergo concluditur quarto supremam iurisdictionem Societatis ordinariam utroque modo esse solum in Præposito generali: nam in illo est ex vi sui muneris, & ex vi legis, & ordinarius influxus, quo vniuersa Societas regitur, ab ipso manat, vel immediatè, vel cum dependentia ab ipso: hoc constat ex Bullis & constitutionibus. Nam in prima

Bulla confirmationis instituti à Paulo III. edita statim in principio dicitur: *cuiusque gradus iudicium & officiorum discretio, ac distributio tota sit in manu Præpositi.* Et infra, *libendi autem ius totum penes Præpositum erit.* Et idem repetitur in Bulla I. Iulij III. & additur, *prout in constitutionibus explicatur.* Et in eisdem Bullis dicitur habere Præpositum omnimodam gubernationem, seu superintendendam super Collegia, & scholares. Quæ omnia à posterioribus Pontificibus, præsertim Greg. XIII. & confirmata & aucta sunt. Explicatur autem latè hæc potestas per suos actus in 9. p. constit. c. 3. ubi primum ei tribuitur potestas admittendi, & dimittendi personas Societatis: item mittendi illas ad varia loca, vel ministeria, vel ab eis reuocare: item providere Rectores, & officiales, per quos Collegia, & vniuersitates administret, ac regat, tam in spiritualibus, & literariis, quam in omnibus temporalibus bonis, quæ ad Collegia spectant. Idemque de domibus probationis, & profectis intelligendum est, & de Prouincialibus, quorum creatio illi etiam committitur. Apud illum etiam esse dicitur per se, ac primariò potestas dispensandi, & vsus facultatum omnium à Sede Apostolica concessarum Societati, ut lib. 9. c. 2. à nu. 2. vidimus; ac potestas etiam corrigendi & puniendi cum opus fuerit, ac denique cætera omnia, quæ ad vniuersale regimen spectant, ut sunt acceptare Collegia, vel domus, vocare ad Congregationem generalem, quando ipso viuentem congregari opus est, & quod amplius est, Vicarium etiam Generalem sibi post mortem substituere, qui Societatem ad Generalem eligendum conuocet, eamque regat donec Generalis eligatur, ut habetur in 8. p. constit. c. 4. §. 1. Quod illi etiam peculiariè commendatum est in Congregatione 4. generali can. 18. Cur autem tam ampla potestas ei data sit, & an ita fieri expediens fuerit, in superioribus satis declaratum est c. 1. à n. 7.

Quæstioncula prima circa dictam potestatem Societatis.

Quæri verò hic potest, an Generalis habeat hanc iurisdictionem suam immediatè à Summo Pontifice, vel à Congregatione generali: hoc enim posterius ex eo videtur colligi, quod Generalis à Congregatione eligitur: ergo sicut ab illa habet esse: ita & potestatem: imò totum esse Generalis, ut Generalis est, in potestate seu iurisdictione consistit. In contrarium autem est, quia rectè intelligi, potest Congregationem solum designare personas: Pontificem autem immediatè atque ipso iure conferre dignitatem & potestatem, ad similitudinem videlicet electionis Pontificis. Quod autem ita fiat, videtur colligi ex Bullis Pontificiis, præsertim ex Bulla 5. Pauli III. ubi sic ait, *Nos eiusdem ordinis supplicationibus inclinati sibi, ut Præpositus Generalis dictæ Societatis pro tempore existens, cum primum iuxta constitutiones eiusdem Societatis electus fuerit, eo ipso verus ipsius religionis Generalis Præpositus cum libera generali & omnimoda cura & administratione omnium, & singulorum ad felix regimen, & prosperam directionem dictæ Societatis spectantium sit, & esse censetur, &c. concedimus.* Ergo implet Pontifex est, qui iurisdictionem & potestatem concedit personæ à Societate designatæ. Et Gregorius XIII. in suis Bullis plures facultates directè ipsi Præposito concedit: specialiter verò in Bulla de vsu facultatum anno 1575. concessa declarare videtur omnes gratias, & facultates, & indulta concessa, seu in posterum concedenda prædicto & pro tempore existenti Præposito Generali Societatis huiusmodi concessa esse. Ergo non Societas, sed Pontifex confert illi immediatam iurisdictionem: nam hæc per talia priuilegia, & indulta datur.

VII.

Arguitur Præpositum habere iurisdictionem immediatam à Congregatione generali.

M m m

Quæ

Quaestiuicula secunda.

VIII.
Arguitur
in posse
Congregatio
habere pote-
statem Ge-
neralem.

Arguitur
in posse.

Secundò interrogabit aliquis an possit generalis Congregatio potestatem Generalis restringere, seu (quod idem est) ex parte auferre. Nam si vera est posterior pars, quam modò suadebamus, videtur se-qui non posse, quia ipsa non dat ei iurisdictionem: ergo nec auferre, aut limitare potest. Confirmatur exemplo à simili de Summo Pontifice: qui licet eligatur à Congregatione Cardinalium, imò licet eligeretur à Concilio generali, potestas eius non potest ab Electoribus limitari; nec diminui, etiam in re minima; quia ipsi non conferunt potestatem, sed tantum designant personam; ergo similiter, &c. In contrarium autem est, quia Congregatio manet superior Generali electo: ergo potestas generalis semper manet pendens à Congregatione; nam hoc postulat debita subordinatio inferioris ad superiorem; & in hoc multum deficit exemplum adductum, ut c. 1. n. 14. dicebam; quia Pontifex semper manet supra omnem Congregationem ipsam eligentem. Confirmatur; nam generalis Congregatio habet potestatem faciendi perpetua statuta, & mutandi constitutiones, ut supra n. 3. ex Bullis Pontificiis, & ipsis constitutionibus ostensum est; ergo etiam habet potestatem immutandi potestatem Generalis, siue augendo, siue minuendo illam. Patet consequentia, quia ille non habet hanc suam potestatem sine adminiculo constitutionum; quia recipit illam secundum constitutiones, & ideo non potest, v. g. dissolvere Collegium, quia constitutiones negant illi hanc potestatem, potest verò acceptare illud, quia eadē constitutiones concedunt: ergo Congregatio, quae potest has constitutiones immutare, potest etiam immutare potestatem, quae ex illis pendet.

Quaestiuicula tertia.

IX.
Arguitur pro
parte affirmati-
ua.

Arguitur pro
negatiua.

His annexa est tertia interrogatio, an scilicet Congregatio generalis quamdiu durat, possit per seipsam immediatè efficere omnes actus iurisdictionis, quos Generalis potest exercere. Pars enim affirmas suaderi potest, quia Congregatio supra Generalem est: ergo potest per se efficere, quicquid per Generalem potest. Consequentia in his causis subordinatis bona est; ideo enim potest Prouincialis quicquid Praepositus localis, & Generalis quicquid Prouincialis. Item quia Generalis habet suam potestatem à Congregatione generali: ergo quicquid per illam iurisdictionem ipse potest, à fortiori poterit Congregatio per seipsam. In contrarium autem est, quia sequeretur posse Congregationem generalem per se eligere Prouinciales omnes, & alia similia facere, quae sunt valde aliena ab hoc instituto. Item quia in ipsis constitutionibus, & Bullis Pontificiis determinatur, & limitantur ea, quae Congregatio generalis per se potest praestare, tam quoad electiones, quam quoad leges ferendas, & alios actus iurisdictionis: ergo nihil aliud potest Congregatio per seipsam immediatè exequi.

Resolutio primae quaestiuiculae n. 7.

X.

Posterior
pars decla-
ratur.

Difficultas praecipua in praesenti est in explicanda dependentia, quam habet iurdictio hae prout est in Generali Praeposito ab illa, quae est in generali Congregatione, & è contrario, in qua dicendum censo iurisdictionem Generalis, simpliciter loquendo, pendere à Societate ut legitime congregata in vnum corpus, & non è conuerso. Hoc posterius euidenter probatur ex dictis, quia Congregatio generalis est simpliciter superior, & quia Generalis in nulla re potest minuire potestatem talis Congregationis: solum ergo ab illo pendet in con-

gregari, ut sic dicam, quia ad Generalem pertinet illam indicere, vel ad Vicarium Generalem, quando generalatus vacat, exceptis casibus, in quibus hoc committitur Assistentibus, vel Prouincialibus ob Generalis defectus, ut constat ex 8. & 9. p. constit. postquam autem semel congregata est, ipsa habet simpliciter supremam iurisdictionem independentem à suo Praeposito, adeò ut nec dissolui possit ex sola illius voluntate sine consensu eiusdem Congregationis, ut declaratur in formula eius c. 7. num. 75.

Altera verò pars probatur sufficienter rationibus, seu quaestiuicula. Et ratio à priori est, quia Generalis habet suam iurisdictionem iuxta constitutiones, constitutiones autem hanc iurisdictionem dant Congregationi generali, ut constat ex 8. p. illarum & ex 9. c. 4. & ex formula Congregationis generalis: nam licet in his locis verbis formalibus & expressis non explicetur hae dependentia; tamen eo ipso, quod dicitur Congregationem esse simpliciter superiorem, sufficienter significatur. Maxime verò hae dependentia ex eo colligitur, quod Congregatio generalis habet potestatem condendi decreta perpetua, ut constat ex 8. p. constit. c. 7. & per ea decreta potest constitutiones immutare, ut ex eodem loco colligitur, & ex Bullis confirmationis instituti Pauli III. & Iulij II. ex quibus colligitur constitutiones condere ad generalem Congregationem pertinere, eiusdem autem est legem mutare, cuius est condere, & qualibet Congregatio generalis aequalis auctoritatis & potestatis est cuiusque praecedenti. Denique Paulus III. in Bulla 2. expresse concedit Societati facultatem mutandi, alterandi & in totum cassandi constitutiones, tam haecenus factas, quam in posterum faciendas, iuxta locorum ac temporum & rerum qualitatem, & varietatem, ita ut postquam mutatae, alteratae, seu de nouo conditae fuerint, eo ipso Apostolica auctoritate confirmatae censentur. Cum ergo tota iurdictio Praepositi generalis ex constitutionibus pendat, consequenter sit, ut etiam pendeat à Congregatione generali.

Hoc ergo posito quod ad rem spectat solum videtur in prima interrogatione posse relinqui ambiguitatem de modo loquendi, parum enim refert, quod dicamus hanc potestatem dari immediatè, vel mediata, vel per Praepositum, dummodo fateamur datam esse cum praedicta dependentia à Congregatione generali. Deservit autem ille modus loquendi, ad explicandum facilius verissimum proloquium in Societate, ac constitutionibus consentaneum: nimirum, Generalem habere omnem potestatem Societati concessam à Summis Pontificibus, tam communi, quam speciali iure, & tam directè per propria priuilegia, quam indirectè per communicationem aliorum: his tantum actibus, seu rebus exceptis, quae per Constitutiones, seu decreta Congregationum generalium illi prohibita sunt: non tamen id proloquium pendet ex illo principio, seu non quia loquendi modo, unde in rigore fortasse verius est, ut potestatem hanc immediatè fuisse communem iurisdictionem hanc immediatè fuisse communem Societati à Summo Pontifice: & per Societatem in Congregatione generali existentem, transmitti in Praepositum Generalem: nam hic est melior ordo prouidentiae, ut influxus capitis veniat ad inferiorem Prælaturam per medium Congregationem generalis reuera est medium inter Pontificem & praepositum. Deinde quia Pontifex per se solus intendit dare huic religioni sufficientem iurisdictionem, & potestatem, quae se possit gubernare applicationem autē huius potestatis ad hanc, vel illam personam: imò etiam ad hunc, vel illum modum, regimini ipsi Societati commisit: ergo, Denique, nunquam Pontifex

Pontifex contulit hanc potestatem B. Ignatio; sicut Christus contulit Petro Ecclesiasticam potestatem, sed tradidit Societati.

XIII.
Data simili-
tudo de ele-
ctione Pon-
tificis non
valet.

Non est ergo similitudo querenda inter vtranque concessionem, & consequenter neque inter electionem Pontificis & Generalis, ut in vtraque scilicet tantum fiat designatio personæ, nam de Pontifice est longe alia ratio, siquidem eius potestas altiori modo descendit immediatè ab ipso Christo omnino independentè ab hominibus, in præsentem autem iurisdicção immediatè communicatur per homines, & non solum pendet à Papa, sed etià suo modo à Societate, ut declaratum est. Rectè ergo dicitur Generales habere hanc potestatem proximè à Societate nec Paulus III. in citatis verbis aliud significat, sed confirmat, & approbat institutionem Societatis quoad hanc partem, & ratam habet Generalis electionem cum omni potestate, quam illi Societas concedit. Et simili modo intelligo verba Gregorij, loquitur enim ex suppositione, quòd Generalis à Societate creatur cum suprema potestate; nam eodem modo vult intelligi omnem facultatè illi esse concessam, & per illum dimanare ad alios: nō enim dubito quin Societas ipsa in Congregatione generali existens habeat per se ipsam vsum facultatum, & privilegiorum, & possit immediatè illum concedere aliquibus, si iudicaverit expediens. Neque enim Gregorij intendit hoc ius Societatis immutare, nec superioritatem Congregationis generalis minuire: non ergo nominat Præpositum generalem ad excludendam Societatem, quam alias sæpe coniungit, & primo loco ponit, sed ad excludendum ab inferioribus liberum vsum talium facultatum, ab ipso Præposito licentia. Quia enim ordinariū regimen Societatis est per generalē Præpositum, per Congregationem autem generalem rarò, & extraordinariè fit, ut n. 5. asseruimus, ideo in concessionibus, seu privilegiis harum facultatum generalis Præpositi, tanquam supremi Prælati mētio fit, semper tamen intelligendum est concessionē fieri cum subordinatione Præpositi generalis ad Congregationem generalem, quam Societas proficetur iuxta 10. p. constit. §. 8. & 9. p. constit. c. 3. §. 10. Vbi de Generali sic dicitur, eius erit vti facultatibus à Sede Apostolica Societati concessis, &c. in quibus verbis plane significatur concessionē Sedis Apostolicæ Societati immediatè fieri; ipsam verò Societatem potestatem transferre in Præpositum, ut per eum ad reliquos inferiores officiales deriuetur, iuxta 8. p. tarundem constit. c. 1. §. 6.

Rec adducta
ex Bulla
Pauli III. &
Gregorij con-
gruit.

Optimè lo-
cus conside-
rationis pro
parte in vi-
gere, videret.

XIV.
Parti affir-
mativæ
simplici-
ter vera, &
quædam.

Modus alter
bipartitus
pro eadem
parti affir-

Resolutio secunda quæst. in n. 8.

Ad secundam interrogationem respondetur, per noua decreta & mutando priores constitutiones, loquendoque de absoluta potestate, non esse dubiū, quin possit congregatio generalis restringere potestatem, & iurisdicçãoem Præpositi, ut probant superius adducta, & quæ modo diximus de emanatione huius iurisdicçãois à Summo Pontifice in Præpositum per Societatem. Quamuis autem hæc potestas absolutè non desit, vñs eius rarus esse poterit, & cum magna moderatione, nam mutatio constitutionum rara esse debet, & non nisi ex magnis, & urgentibus causis, præsertim in re adeo graui, & quasi substantiali, ut est potestas Generalis Præpositi. Aliter etiam posset intelligi hæc restrictio solum de facto circa talem personam, restringendo illius potestatem, quamuis non condatur ius nouum, nec fiat mutatio in ipso munere secundum se, & hoc videretur habere maiorem inuidiam, propter iniuriam talis personæ, & ideo aduertit potest, dupliciter hoc posse fieri, scilicet, vel ante electionem Generalis, vel viuentē Generali semel iam absolutè & cum in-

Franc. Suar. de statu relig. Tom. IV.

tegra potestate creato. Priori modo posset facilius fieri, ut si ad sumendam experientiam alterius regiminis, quoad aliquam potestatem, vel actum eius, vel ob aliquam temporalem causam virgētem, Societas ante electionē Generalis statuerit, ut pro hac vice Generalis electus, non haberet talem, vel talem potestatem: nam sicut Societas potest absolutè mutare constitutionem aliquam in tali materia, ita potest pro aliquo tempore, vel occasione illā suspendere, vel quasi in illa dispensare. Posteriori autem modo, id regulariter fieri non poterit, nisi interueniente magna causa, quæ vix erit sine culpa ex parte ipsius Præpositi, vel ob impotentiam ex nimia senectute, aut ægitudine, vel alia simili causa exorta; in his enim casibus constitutiones ipse satis declarant quantam in hoc potestatem habeat Congregatio 9. p. constit. c. 4. §. 6. Extra hos verò casus cum generalis electus habeat ius acquisitum, sicut non potest sine causa priuari prælatione ipsa, ita nec integra & debita potestate illius: quòd si ad bonum commune pertinuerit pro aliquo tempore, non vti aliqua potestate, generalis Congregatio poterit Præposito iniungere, & ipse tenebitur consentire.

Resolutio tertia quæst. in n. 9.

Ad tertium punctum responsio clara est ex dictis: si enim spectemus nudam potestatem, non deest in Congregatione generali ad efficiendum per se, & immediatè alios actus iurisdicçãois, seu prouisiones, aut electiones ad officia, siue per legem statuto, vel aliquid huiusmodi deinceps pertineat ad Congregationem generalem præter ea, quæ nunc per se solet efficere, siue in casu aliquo particulari dispensando, seu aliquem de facto exequendo, iuxta occurrentes occasiones. Quod planè sequitur ex dictis, & ex suprema potestate Congregationis, & nulum manet incommodum. Et potest confirmari ex quodam decreto primæ Congregationis generalis in 32. quod sic habet, Non licet Præposito generali (durante scilicet Congregatione generali) mutare huiusmodi officiales: qui ab ipso Generali creatur (id est, Prouinciales, Rectores, &c.) usque ad dissolutionem Congregationis, nisi eadem Congregatio aliquem esse mutandum videretur. Ex quo decreto ferè confirmantur omnia dicta; nā in illo quodammodo limitatur potestas Præpositi, nam antea non erat illi prohibitum ex vi constitutionum mutare huiusmodi officiales. Ideo ergo fieri posset à Congregatione in aliis rebus, si expediret.

Quamuis autem potestas absolutè loquendo nō desit, nihilominus in vñs huius potestatis ordinariè seruandum est quod in constitutionibus est præscriptum, quia non datur potestas in perturbationem, sed in ædificationem, & credendum est Congregationem non esse abusuram suæ potestatis, ad mutationem aliquam faciendam in instituto, vel in vñs eius, sed semper rationem maioris boni habituram. Vnde intelligitur, quomodo assignentur in Bullis, vel constitutionibus quidam peculiare actus Congregationi generali: ideo enim id fit, quia tales actus à sola Congregatione fieri possunt, non verò, quia illos tantum possit ipsa efficere, nam quandiu durat, plures iurisdicçãois actus exercere potest: prudentia autem illius est, non se intromittere, neque immorari in aliis, nisi evidens necessitas, vel utilitas id postulet, & ideo considerando ordinariū vñs, dixi suprà in num. 3. potestatem Congregationis non esse maximam extensiuè, quia iurisdicção Præpositi ordinariè circa plura versatur.

XV.

i. Parti respo-
nitivæ
simplici-
ter vera, quæ
ad absolutam
potestatem.

XVI.

2. Parti respo-
nitivæ
quoad
vñs talis
potestatis.